



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis, Commentariorum Libri LVIII

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Authoris Vita Ab Antonio Verderio Breviter Enarrata.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

AUTHORIS VITA AB ANTONIO VERDERIO
BREVITER ENARRATA.

IOANNES PIERIUS VALERIANUS, Belluni (quæ Marchiæ Tarvisinæ civitas est) patre in bellum profecto natus, amico fuit ab ineunte ætate erga literas animo: sed cum annum ætatis suæ nonum vix implevisset, parente vita functo domesticarum rerum cura à literarum studio disturbatus potius est quam averfus: ei que exigua res domi cum esset, matre & duabus sine dote superstitionibus sororibus, multarum tantum sollicitudinum per legitimam successionem possessor factus, Patritiis quibusdam Venetis servire per egestatem coactus est. Atque hæc de se ipse testatur omnia, quadam qua vitæ suæ calamitatem luget Elegia:

*Duriter eductus sum primò, dum pater absens
Horrida pro patriis finibus arma gerit:
Dumquo ille Algurdi per culmina militat ardens,
Et subit horrenda sæva pericla necis:
Aptus eram studiis. Studium mea sola voluptas:
Otia sed studiis nulla fuere meis.
Vix bene finieram nonum tum parvulus annum,
Multiplicis cesst quum mihi cura domus.
Tractabamque puer non pauca negotia solus,
Dum pater Adriacas sæpè frequentat aquas.
Adde quodd invisis dissentum litibus illum,
Illum mi rapuit mors inopina patrem.*

Et paulò post:

*A patruo demum Venetas accitus ad undas,
Vix menses nostro viximus ære decem.
Patritiis igitur servire coëgit egestas
Ærumnosa, bonis invida principis.*

Et postea:

*At genitrix pauper, gemina sine dote sorores,
Quas miseras frustra spes fovet una mei,
Exposcunt à me fraterni premia juris,
Sed chartas nullas, carmina nulla volunt.*

Ab Urbano demum Valerio patruo suo disciplinis liberali homine dignis institutus, eam eruditionem adeptus est quam quisque ex ejus operibus perspicere potest. Commilitonem habuit qui eodem præceptore usus est Leonem X. Pon. Max. qui erudiendus Urbano Bolzanio Bellunensi non sine delectu traditus est. Urbanus enim vir doctissimus, & literarum Græcarum peritissimus habitus est, in quibus perdiscendis opera Constantini Lascaris usus est, quem Byzantio rediens quò ab Andrea Grittæo postea Venetorum Principe perductus erat, Messanæ offende-

rat, reversus in patriam cum se Venetiis recepisset, ibi magna auditorum frequentia Homerum interpretatus est, Institutionesque edidit in linguam Græcam. Ex hac vita functo Venetiis Pierius Valerianus noster præ foribus D. Nicolai magnæ, ut vocant, Domus hanc inscriptionem posuit:

URBANO BOLZANIO BELLUNENSI, MINORITANÆ FAMILIÆ SACERDOTI SUMMÆ INTEGRITATIS, ET INNOCENTIÆ, QUI GRÆCAS LITERAS EXTORRES JAMPRIDEM, ET PROEUL A TERRA ITALA EKULANTES NOBIS SUMMA TUM DOCENDI, TUM SCRIBENDI CURA PRINCEPS ASSERVIT:

PIERIUS VALERIANUS BOLZANIUS EX FRATRE NEPOS, INSTITUTIONIS EDUCATIONISQUE MEMOR POSUIT, VIXIT ANNOS LXXXI, MENSES III. DIES XII. IN VOLUNTARIA PAUPERTATE FELICISSIMUS, IN OMNES QUOD POTUIT SEMPER OFFICIOSUS, NULLI UMQUAM INJURIUS. M. D. XLV. Menſe Aprilis.

Meruit quoque Urbani Nepos Pierius cui Hippolytus Medices princeps Illustrissimus, Cardinalis postea factus, erudiendus, monendusque traderetur. Hieronymum Donatum & Andream Grittæum Patritios Venetos summa sibi necessitudine devinxit: Baptistæ Egnatio, Marco Antonio Sabellico præceptor, Cælio Calcagnino, Joann. Manardo, Achilli Bocchio, Syncero Sannazario, Romulo Amasæo, Cornelio Musso, & Arnoldo Arlenio, plurimisque aliis viris magna doctrina & eruditione præditis familiaris fuit, ac Petrum Bembum quadam ad Urbanum patrum Epistola amicam suam speciatim appellat. Joannis Petri illi fuit peculiare nomen (ut ipsemet fateatur) priusquam M. Antonius Sabellicus id Venetiis in Pierium immutasset, illudque merito fecisse videtur Sabellicus, eò quod Petrus Valerianus charus fuit Musis, quæ Pierides dictæ fuere à Pieri Macedonia regione, Æmathia antè dicta. Hæc enim Musarum parens, domusque est, à nemore ita appellata, cui nomen est Pieris: quin & à Pieria Pierius deducitur, unde Pierium carmen dicimus. Virgilium collatis variis eodicibus emendavit, cujus in hac re laborem commendat summopere Ludovicus Vives sub finem libri tertii de tradendis disciplinis. Carminum libros aliquot, Hieroglyphica, sive de sacris Ægyptiorum literis commentarios, Sphæræ compendium, & pro sacerdotum barbibus scripsit, cui libello videlicet barbarum defensionem Epistolam ad Andream Alciatum præfecit F. Minutius Calvus Romanus Typographus, quæ Castigationum illius in Pandectas meminit, ac de fulminum significationibus, ut ipse testatur Hieroglyphicon lib. 43 Scripsisse fertur, & alia in quæ nondum incidi. Cùm Julius Cæsar Scaliger in Hypercritico omnes Poetas notet: *Olim inquit, Pierii non pauca vidimus, quæ propter temporis longinquitatem nunc excidere nobis: etiam nescio quid de Carphone & Catullo. Verùm earum scripturam nihil extat apud nos in presentia, fortè inter alias congeries, ejus Joathas repertus est à me. Quare de ipso aliquid dicendum etiam arbitror, quem equidem huic subjunxi: quod uterque longè abhorrebat à profanis atque impudicis argumentis. Ille vitia insectando, præmia bonis proponendo, hic exemplo divini illius viri qui pro Jesu nomine mortem cum vita commutare minimè dubitavit. Præsertim cum affixa Poemati Epistola, & viri Christiani sapiat animum, & eadem dicat quæ Palingenius, sed talibus adornata numeris ac figuris orationis, ut non solum sapiens, ut ille, sed etiam*
Poeta,

Poeta, non versificator (quod neglexit ille) appellari mereatur. In opere autem ipso tanta materia tenuis est & jejuna, tum vulgaris. Quare vix capere potest Poetica corpus eloquentia. Ille autem contra nititur multis conatibus obruere splendorem orationis, nihilque omittere quod cum simplici Christiana, veritate inoffensum Poetae studium conjungere valeat. Planè aduerto Scaligerum hæc in illum eructasse ne ei innotatus abiret. Cæterum Pierius postquam tot sui monumenta reliquisset, senio confectus Patavii diem supremum obiit, non sine luctu eruditorum totius Academiae, & præcipuè Petri Carrarii, & Joann. Baptistæ Carrarii ejus amicorum, qui Tumulum quo reconditum fuit Pierii corpus in Basilica D. Antonii decorarunt hac inscriptione:

PIERIO VALERIANO.

BELLUNENSI, POETAE RHETORIQUE AMPLISSIMO, CUIUS PIA UMBRA NON POENITENDUM HIC TUMULUM SORTITA EST: NAM UT OPTABILIS IN PATRIA, ITA SPÉCIOSUS PATAVII SUPREMI OFFICII DEGUS FATO AMISSUM, VIRTUTE RECUPERAVIT. PETRUS CARRARIUS, AC JOANNES BAPTISTA ROTA, PATAVINI UNANIMIS GRATO HOSPITI POSU.

*Pieridas dum Pierius sectatur, & Orci
Nil timet insidias, hunc fera mors rapuit.
Illa necem, æterna ostentant hæc munera vitæ.
Hinc medicus vitæ Pieriusque neci.
Abstulit hæc annos tristes: at præmia laudum
Atque Animam hæc servant, invida mors moritur.*



(C 3)

AU-